

cando Christum. Fundamentum hujus opinionis est quod Damascus illo tempore esset civitas Arabum: nam dicit Apostolus 2 Cor. 11, v. 32: *Damasci prepositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet.* Aretas autem erat rex Arabiæ Petraræ; ut constat ex Josepho, lib. 18 Antiq., cap. 7.

Sed contra hanc opinionem facit quod Apostolus ad Galat. nimis clarè dicat se mox ivisse in Arabiam, et inde reversum fuisse Damascum; adeoque totos illos tres annos non exegit Damasci.

Videtur S. Hieron., scribens in cap. 1 Epist. ad Galat., sentire quod iverit quidem in Arabiam, sed ibi non diu hæserit, sed mox reversus sit Damascum. Ratio ejus est quod S. Lucas hic de isto itinere nihil loquatur; quod signum est eum in Arabiâ nihil alicujus momenti fecisse, vel non diu mansisse. Sed quamvis S. Lucas nullam faciat illius itineris mentionem, S. Paulus tamen adeo manifestam facit, ut non sit vero simile iter illud tantum fuisse ire et redire. Igitur,

Resp. et dico: Probabilis est quod S. Paulus paucis diebus post conversionem suam iverit in Arabiam, ibique tribus ferè annis manserit, donec sedaretur furor et indignatio Judæorum Damascenorum, quam ob predicationes ejus in ipsum conperant; postea verò Damascum reversus sit, ubi Judæi, resumptâ irâ suâ, voluerunt ipsum occidere.

Probatur, quia tribus annis post conversionem suam, dum Paulus venit Jerusolymam, v. 26, *tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus;* adeoque illi nondum credebant ejus conversionem. Unde, ut sequitur, Barnabas totam rem narravit apostolis, et tunc susceperunt eum. Atqui si mansisset tribus annis Damasci, discipuli Jerusolymitani non ignorassent ejus conversionem; ergo, etc.

Prob. min., quia erat magna communicatio inter Damascum et Jerusalem, ita ut nuntia de unâ civitate ad aliam citò perferrentur, ut patet hic ex v. 15, ubi dicitur quod Ananias, qui habitabat Damasci, mox sciverit persecutionem quam Paulus excitaverat Jerusolymis; et quod venisset Damascum habens potestatem à principibus sacerdotum comprehendendi omnes fideles.

Dices 1^o: Si Paulus post conversionem suam mansisset aliquo tempore Damasci, prædicans Christum, et si fuisset tanta communicatio inter utramque civitatem, rumor insolitus istius conversionis facilè pervenisset ad apostolos; atqui non pervenit; ergo signum est quod non fuerit tanta communicatio inter utramque civitatem.

Resp. quod, cum Paulus brevi post ivisset in Arabiam, et amplius à fidelibus non videretur, nec sciretur ubi esset, poterint suspicari quod aut ejus conversio non fuisset sincera, aut iterum reversus esset ad Judæismum; et idè ille rumor non pervenit ad apostolos; vel si pervenerit, fuit valde doctus et incertus; præsertim cum novissimè summum ejus zelum pro Judæismo, et iram contra fideles.

Dices 2^o cum Tillemontio: Erat tunc bellum inter Herodem regem Judæorum et Aretam regem Arabum; ergo nulla erat communicatio inter duas istas urbes.

Resp. vel istud bellum fuisse citius, aut serius, vel Jerusolymitanos in eo nullam partem habuisse: nam ex Scripturâ nimis clarè constat quod fuerit illa communicatio. Deinde quomodo Paulus, acceptâ potestate à principibus sacerdotum Jerusolymitanis potuisset Damasci comprehendere fideles, et verosimiliter cives Damascenos, si inter præfatos duos reges fuisse bellum? Quomodo gubernator Damascenus in gratiam Judæorum voluisset Paulum comprehendere? Quomodo permisisset Judæos Damasci habitare, et illic habere synagogas? etc.

Cap. 10, Cornelius centurio cum totâ suâ familiâ baptizatur à S. Petro, atque aperitur gentibus ostium ad fidem. Questiones, quæ ex hoc cap. formantur, theologiam concernunt; et idè easdem hic transilimus.

CAPUT XI ET XII.

Quia Petrus accesserat ad centurionem, hominem incircumcisum, murmurant varii fideles circumcisi, quos Petrus compescit. Barnabas mittitur Antiochiam, qui brevi post etiam eò adducit Saulum. Agabus propheta famem toti orbi imminentem prædicat.

Herodes Agrippa, rex Judææ, à Caio Caligulâ creatus, occidit Jacobum fratrem Joannis evangelicæ; deinde S. Petrum in vincula conjicit, qui ex illis ab angelo liberatur; sed Herodes, qui non respuit divinas laudes sibi à populo attributas, ab angelo percussus, et consumptus à vermium, expirat.

QUESTIO UNICA.

Quandonam contigerit incarcerationis S. Petri, et fames ab Agabo prædicta.

Questio hæc non parvam habet difficultatem; quia ex communi Patrum et Ecclesie traditione Petrus fuit Romæ pontifex viginti quinque annis incompletis. Item mors ejus non potest differri ultra annum 15 imperii Neronis; uti observavimus in Concord. evang., cap. 28, quest. 6.

Nota 1^a, quod S. Petrus immediate post suam liberationem videatur ivisse Romam, et illic sedem suam collocasse: nam dicit S. Lucas, Act. 12, v. 17: *Et egressus (Petrus) abiit in alium locum.*

Nota 2^a, quod annis 15 Neronis concurrat eum anno 67 æræ vulgaris, à quo si demas 25 annos pontificatus Petri, ejus discessus ex Judæâ Romam incidit in annum 42 æræ vulgaris. Cum autem in hac questione inter se non conveniant auctores; tres, quæ de eadem circumferuntur, opiniones hic distinctis paragraphis proponemus, ut ex illis unam, quæ sibi magis ardeat, eligere valeat lector. Sit igitur

§ 1. — Proponitur sententia communis.

Resp. et dico: Juxta Baronium, et plurimos alios, incarcerationis Petri, et fames ab Agabo prædicta, contigerunt anno 42 æræ vulgaris, Claudii verò anno 2. Probatur, quia Dio, lib. 6, dicit famem illam in-

gentem fuisse anno secundo Claudii; atqui annus ille secundus concurret cum anno 42 æræ vulgaris, ut patet ex chronologiâ, quam infra in fine hujus libri subjiciemus; ergo, etc.

Fames autem illa incepit, dum Petrus erat in carcere: nam dicitur, Act. 12, v. 1: *Eodem autem tempore, misit Herodes rex manus, etc.*

Obj. 1^a: Non vixit Herodes anno integro post liberatum Petrum: nam mox descendit Caseream, quia erat iratus Tyriis ac Sidoniis, et ibi mortuus est, ut habetur Act. 12, v. 19 et seq. Atqui si fames et liberatio Petri accidissent anno secundo Claudii, debuisset Herodes Agrippa adhuc vixisse integro anno et medio post liberationem Petri: nam vixit usque ad annum quartum Claudii, ut constat ex Josepho, lib. 19 Antiq., cap. ult., dicente de Agrippâ: *Vitam finivit... postquam regnasset per septennium; quatuor enim annos sub Caio Casare obtinuit regnum... tribus deinde annis sub Claudio Casare.* Ergo fames et incarcerationis Petri non contigerunt anno secundo Claudii.

Resp. Neg.: maj., quia ex Scripturâ non constat quandiu vixerit post liberationem Petri: nam ex eo quod S. Lucas deinde referat ejus mortem, non sequitur quod statim secuta sit; siquidem vitam et mortem alicujus consequenter narrare, satis frequens est in Scripturâ. Deinde dicit S. Lucas, v. 19: *Descendensque à Judæâ Caseream, ibi commoratus est.* Quæ verba insinuare videntur quod non modico tempore Caseream manserit, antequam moretur.

Insuper ex Scripturâ colligitur quod illo anno, quo grassabat fames, Tyriis et Sidoniis alimenta præbuerit, et anno sequenti ipsis iratus fuerit, fortè quia pro tanto beneficio ipsis præstito non fuerant grati: nam dicitur v. 20: *Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et... postulabant pacem, eò quod alerentur regiones eorum ab illo.* Ergo non insinuat Scriptura quod statim mortuus sit, sed potius quod plus quam integro anno supervixerit: non enim potuit illo anno quo ipsos aluit, eis esse infensus.

Inst.: Dicit S. Lucas quod percussus ab angelo, consumptus vermium exspiraverit, scilicet quia Jacobum occiderat, et Petrum incarcerationem: ergo non tamdiu supervixit; aliâ illa pena fuisset nimis diu dilata.

Resp.: Neg. consequ., quia et Saul, postquam à Deo reprobatum esset à regno, regnavit adhuc ad minus sexdecim annis. Si igitur supplicium Saulis non fuerit nimis diu dilatum, multò minus nimis diu dilata fuit pena infligenda Herodi. Præterea S. Lucas aliam rationem offert, quare Herodes percussus ab angelo, consumptus vermium exspiraverit: dicit enim v. 21: *Statim autem die, Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. Populus autem clamabat: Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eò quod non dedisset honorem Deo; id est, honores divinos sibi delatos non recusasset, sed libens sibi deferri permisisset. Hæc igitur fuit propriè dicta ratio, quare ab angelo percussus mox exspiraverit.*

Obj. 2^a: Fames illa fuit post mortem Agrippæ, ut constat ex Josepho, lib. 20 Antiq., cap. 3. Ergo non contigit anno secundo Claudii.

Resp. Neg.: consequ., quia fames illa incepit ante mortem Agrippæ, et adhuc duravit post mortem ejus. Quinimò fames duravit sub Fado, qui defuncto Herode Agrippâ, statutus fuerat procurator Judææ; et sub Tiberio Alexandro Fadi successore, ut patet ex Josepho loco præcitato, ubi dicit: *Herodis tempore (scilicet Alexandri et aliorum, de quibus ibi agitur) magna fames Judæam tenuit, quando regina (Adiabenerum) Helena frumentum, ingenti sumptu ex Ægypto comparatum, in egenos distribuit.* Adeoque illa fames fuit valde diturna.

Obj. 3^a: Si fames et incarcerationis Petri contigerint anno 42 æræ vulgaris, Petrus debuisset esse occisus à Nerone anno 67 juxta supra dicta, Nota 2^a. Atqui S. Petrus illo anno non fuit occisus à Nerone; ergo.

Prob. min., quia anno 67, qui erat annus Neronis 15, Nero non erat Romæ, sed in Achiâ, ut multis argumentis probat Bollandus, tomo 1 aprilis, pag. 16. Ergo isto anno S. Petrus non potuit à Nerone occidi.

Resp. Petrum et Paulum martyrio affectos fuisse sub Nerone; id est, non sub ejus presentia, sed sub ejus persecutione. Nec ullus S. Pater aut antiquus historicus dicit illos occisos esse, dum Nero existebat Romæ, sed tantum quod passi sint sub Nerone.

Solus forsân S. Clemens papa, epist. 1 ad Cor., cap. 5, videtur insinuare quod presente Nerone interfecti sint; si tamen ejus verba non potius significant ipsos non vi persecutionis personalis, à Nerone excitatæ, sed vi specialis mandati, personam ipsorum determinantis, et Romam à Nerone missi, martyrio affectos esse.

§ 2. — Proponitur sententia Eusebii.

Juxta Eusebium, lib. 2, cap. 10, fames illa et incarcerationis Petri contigerunt anno quarto Claudii; id est, anno 44 æræ vulgaris.

Prob. 1^a, quia Scriptura aperte insinuat quod Herodes Agrippa paucis temporibus post incarcerationem S. Petri mortuus sit: nam postquam S. Lucas, Act. 12, incarcerationem et liberationem S. Petri retulisset, statim de Herode Agrippâ subjungit, v. 19: *Descendensque à Judæâ Caseream, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis.* Ubi particula, autem, videtur omninò esse causalis; ita ut sensus sit: *Ivit Caseream Philippi, civitatem contemnerunt Tyriis et Sidoniis, quia erat ipsis iratus. Deinde prosequitur Lucas: At illi unanimes venerunt ad eum, et persuasus Blaſto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eò quod alerentur regiones eorum ab illo. Statim autem die, Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos; scilicet ad Tyrios et Sidonios, ut textus naturaliter insinuat, cum de nullis aliis antea fecerit mentionem, et communitè prædicatum fuerit, ut reges postulantes pacem diem determinatum starent, quo illis in splendore sue majestatis comparentes, audientiam darent. Populus autem (scilicet Tyriorum et Sidoniorum; nam Judæis*

non asperadeo phœbat) per abjectissimam adulationem, et quædam impetraret, inclinabat: *Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, etc.* Ex quibus patet quod non aluerit regiones Tyriorum post incarcerationem Petri, sed antea.

Prob. 2^a: Quia si famis illa incœpisset anno 42 ære vulgaris, durasset facile tribus annis. Hoc autem planè incredibile est, eum moraliter loquendo homines non possint famis temporà tantùm sustinere, præsertim si sit universalis, qualis fuit hæc, quam Agabus prædixit futuram in universo orbe terrarum, Act. 11, v. 28.

Obj. 4^a: Ex sententiâ jam propositâ sequitur quod Petrus tantùm 25 annis sederit Romæ: nam ut supra observavimus, post liberationem suam è carcere, ivit Romanam, et illic sedem suam collocavit.

Resp.: Neg. sequelam: nam Petrus, relicto in sede sua Antiochenâ S. Evodio, discessit propagaturus Evangelium, et pervenit Romanam circa finem anni 42 ære vulgaris, aut paulo post, ibique fixit sedem suam, non tamen tanquam ibi semper mansurus; quia non conveniente ad apostoli, missi per totum mundum, manerent habitantes in una aliqua civitate. Deinde Petrus, relicto Romæ S. Lino, suo vicario, remeavit in Judæam anno 45, et anno 44 incarcerationis est.

Obj. 2^a: Petrus incarcerationis fuit ab Agrippâ in Paschate; atqui Agrippa non vixit usque ad Pascha anni 44, ergo, etc.

Prob. min.: Annus 44 convenit cum anno 4 Claudii; atqui Agrippa tantum regnavit tribus annis sub Claudio, ut constat ex verbis Josephi, supra, § 4, obj. 4, citatis; ergo.

Resp.: Neg. utramque minorem, quia verba Josephi debent intelligi quod regnavit sub Claudio tribus annis et sex mensibus: nam, lib. 18 Antiq., cap. 8, in fine, dicit quod Caius Caligula Herodem Agrippam fecerit regem primis diebus sui imperii, et, lib. 2 de Bello Judaico, cap. 10, dicit Caium occisum esse, dum regnaverat annis tribus, mensibus sex. Ergo dum dicit Agrippam regnasse per septennium, intelligi debet annis tribus et medio sub Caio, et totidem sub Claudio; adeoque mortuus est tribus circiter mensibus post incarcerationem Petri. Hoc autem præcisè convenit, inquit Tillemontius, notâ 29 in S. Petrum, cum literâ Scripturæ sacræ, Act. 12, quæ insinuat mortem Agrippæ accidisse brevi post incarcerationem S. Petri.

Sed tamen contra facti quod illud septennium, quod dicit Josephus Agrippam regnasse, videatur necessario debere intelligi incompletum; scilicet quadriennium incompletum sub Caio, et triennium sub Claudio.

Probat, quia Josephus, lib. 19 Antiq., cap. ult. dicit: *Vitam finit... postquam regnasset per septennium* (auctor Chronologie, Vitæ vertit ex Græco: *Annium agens regni septennium*); *quatuor enim annos sub Caio Casare obtinuit regnum*; *primum in Philippis Tetrarchiâ per triennium, cui quarto demum anno accessit et Herodis tetrarchia. Deinde tribus annis sub Claudio Casare.*

Prob. 2^a, quia quando Barnabas cum Paulo et aliis ferentibus elemosynam venit Jerosolimam, hæc dubiè ivit hospitium apud Mariam matrem Marci,

Ubi aperte ipsi dat quadriennium sub Caio, et tantum tres annos sub Claudio.

Dices: Josephus sibi contradicit: nam lib. 2 de Bello Judaico, cap. 10, dicit quod Claudius Agrippæ addiderit tetrarchiam Herodis.

Resp. quod verè Claudius ipsi addiderit tetrarchiam Herodis, ut habetur loco citato in objectione; sed illam dedit primo ferè die sui imperii, ut colligitur ex loco citato, et lib. 18 Antiq., cap. 8, adeoque anno quarto regni Agrippæ, qui deinde adhuc vixit tribus annis. Unde eodem lib., et eodem cap., scilicet lib. 2 de Bello Judaico, cap. 10, iterum dat Agrippæ tantum tres annos sub Claudio.

Inst.: Eodem loco dat ipsi tantum tres annos sub Caio, et tres sub Claudio.

Resp. vel inde confici quod supra dictum quadriennium sub Caio tantum intelligat incompletè. Primò, quia in utroque loco tantum dat ipsi tres annos sub Claudio. Secundo, quia dicit Agrippam fuisse factum regem à Caio, in initio ejus imperii: nam dicit, lib. 18 Antiq., cap. 8, quod Caius, postquam tumulaverat corpus Tiberii, voluerit Agrippam eodem die solutum dimittere (erat enim à Tiberio conjectus in vincula, quia dixerat ex voto suo Caium futurum Casarem, et ejus partes nimium foverat, ut refert Josephus, ibidem), sed quod movit Antonia supercedit; non quod ea mala vellet homini, sed nequibz decorum hanc festinationem, ne videretur hoc otio Tiberii facere, si tam cito solveret. Elapsis tamen non multis diebus, accersitum ad se dominum, tandem, restitutum mutare præcepit, imposito deinde in ejus capite diademate. Atqui certum est quod Caius imperaverit tribus annis et medio; vel potius, ut habet Suetonius, tribus annis, decem mensibus et octo diebus; aut novem mensibus, et viginti octo diebus; ut habet Dio; ergo dum Josephus dicit Agrippam regnasse sub Caio quatuor annis, intelligit quatuor annos incompletos; et dum dicit illum regnasse sub Claudio tribus annis, intelligit tres annos completos et aliquot menses.

Ex quibus liquet quod non videatur posse sustineri Agrippam regnasse tribus annis et medio sub Caio, et totidem sub Claudio.

§ 5. — Proponitur tertia sententiâ.

Resp. et dico 1^a: Fames, quam prædixit Agabus, non contigit eodem tempore quo facta incarcerationis Petrus.

Prob. 1^a, quia due superiores sententiæ non possunt tollere omnem difficultatem: nam sententiâ Eusebii nullo modo tollit difficultatem, quæ movetur circa annos, quibus regnavit Agrippa, ut jam vidimus. Præterea repugnat Diono, qui, ut § 1 dictum est, manifestè habet quod famos illa ingens non anno quarto, sed anno secundo Claudii contigerit; sententiâ verò communior non potest tollere difficultatem, quæ movetur circa annum, quo S. Petrus martyrio affectus fuit.

Prob. 2^a, quia quando Barnabas cum Paulo et aliis ferentibus elemosynam venit Jerosolimam, hæc dubiè ivit hospitium apud Mariam matrem Marci,

vel saltem ivit illam invisum. Primò, quia ejus domus erat commune receptaculum discipulorum. Secundo, ipsa erat amita Barnabæ, ut constat ex Epist. ad Colos., cap. 4, v. 10, ubi Apostolus dicit: *Marcus consobrinus Barnabæ.* Ergo verosimilius in illa domo hospitalitas est. Jam verò Petrus liberatus è carcere, Act. 12, v. 12, rectè venit ad domum *Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes.* Si igitur Barnabas et Paulus fuissent tunc Jerosolymis, Petrus illos in illa domo invenisset, allocutus fuisset, etc., ac S. Lucas lactum istum concursum non tacuisset; aut saltem Paulus in suis Epistolis desuper aliquid posuisset.

Dices: S. Lucas, Act. 11, v. 30, dicit quod discipuli Antiocheni elemosynas miserint ad *Seniores per manus Barnabæ et Sauli*; et immediate post, scilicet, cap. 12, v. 4, ait: *Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, etc.* Ergo eodem anno quo Barnabas et Paulus cum elemosynis venerunt Jerosolimam, incarcerationis est Petrus, et consequenter incarcerationis ejus contigit tempore famis.

R.: Neg. eòsequ. Nam et, eodem tempore, non debet referri ad tempus quo Paulus et Barnabas fuerunt Jerosolymis, ut patet ex jam supra dictis, sed ad tempus, quo Agabus prædixit famem, scilicet: *In his autem diebus.*

Hæc solutio apparebit probabilior, si textum consideremus hoc modo, quo naturaliter considerari debet: *In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophete Antiochia; et surgens unus ex eis nomine Agabus; significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est (non statim, sed uno aut pluribus annis post) sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus; quod et fecerunt (non jam, aut statim; sed postea illo anno et tempore, quo famis invadescebat) mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. Eodem autem tempore (non famis, seu quo Barnabas et Saulus venerunt cum elemosynis Jerosolimam; sed eodem tempore quo ista fiebant Antiochia; misit (id est, miserat) Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ, etc.*

Dico: *Miserat*, quia in Scripturâ sæpè ponitur præteritum pro plusquam perfecto, ut Joan. 18, v. 26, *abscedit pro abscederat.* Vide desuper plura in Concord. evang., cap. 26, quæst. 2.

Ratio autem expositionis datæ est hæc, quod omnes historici, tam profani quam sacri (nisi ex professo tractent chronologiam) dum aliquam historiam inceperunt, illam proseguunt, si possint, usque ad finem. Finita autem historiâ, narrat aliam, quæ contigit non eodem tempore, quæ prior historiâ finita fuit, sed quo accidit. Sic lib. Judæ., à cap. 15, v. 2, usque ad cap. 16, v. ult., narratur tota historia Samsonis usque ad sepulchrum ejus inclusive; deinde immediate dicitur cap. 17, v. 1: *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim, nomine Michus; etc.* Hoc tamen non significat quod historia Michæ contigerit

circa tempus quo mortuus est Samson, sed tantum denotat quòd acciderit circa tempus judicum; ergo nec hic et eodem tempore, designat quod incarcerationis S. Petri contigerit eo tempore quo Paulus et Barnabas erant Jerosolymis, sed tantum denotat quòd acciderit circa illud tempus, quo Agabus Antiochia famem prædixit.

Inst.: Post narratam incarcerationem Petri, ac etiam mortem Herodis, immediate S. Lucas subdit: *Barnabas autem et Saulus, expleto ministerio, reversi sunt ab Jerosolymis.* Ergo incarcerationis Petri contigit illo tempore quo Saulus et Barnabas erant Jerosolymis.

Resp.: Neg. consequ. Nam cum Lucas interrupisset historiam Pauli et Barnabæ ad narrandum incarcerationem S. Petri, etc., debet deinde illam resumere ab illo loco, ubi eam reliquerat. Unde sicuti ex eodem contextu non sequitur quod Herodes sit mortuus tempore quo ipsi fuerunt Jerosolymis, ita nec sequitur quod Petrus illo tempore esset in carcere.

Dico 2^a: Petrus fuit in carcere anno 41 ære vulgaris; deinde liberatus ivit Romanam, ubi potuit fuisse ante finem ejusdem anni: atque illuc usque ad 29 Junii anni 66, sunt 25 anni incompleti, quibus dicitur Romæ sedisse.

Probat ex refutatione aliarum sententiarum, et præsertim ex eo quod mors ejus videatur necessario ponenda anno 66 ære vulgaris, uti dictum fuit in Concord. evang., cap. 28, quæst. 6.

Dices: anno 41 ære vulgaris non poterat Herodes esse Jerosolymis ante Pascha; ergo illo anno Petrus non fuit in carcere.

Prob. ant.: Claudius factus est imperator 24 Januarii, ut habet Josephus, lib. 19 Antiq., cap. 2, idque anno 41 ære vulgaris, ut ex infra dicendis in Chronologia historia: apostolorum patebit; deinde Alexandrini audita morte Caii, tumultuârunt: Claudius misit mandatum ut tumultum compesceret. *His edictis Alexandriam, et per totum Imperium dimissis*, inquit Josephus, ibid., cap. 5, *Claudius Casar... mox Agrippam ad curam sui regni misit.* Atqui omnia hæc non videntur potuisse fieri inter 24 Januarii et Pascha; ergo.

Prob. min. Debet nuntium mortis Caii pervenisse Alexandriam, debet secuta est seditio; debet insuper nuntium istius seditionis pervenisse Romanam; et tantum post hæc Herodes discessit Romam, et debet pervenisse usque Jerosolimam. Alexandria autem distat Româ 800 leucis, et Jerusalem 600; adeoque debuit fieri iter 1600 leucarum spatio 66 dierum, si supponamus Pascha illo anno incidisse in primam aprilis; et per consequens, si nihil aliud fecissent quam itinerari, debuissent singulo die conficere ferè 25 leucas.

Adde quod Herodes fuerit aliquo tempore ante Pascha Jerosolymis; nam occidit Jacobum; deinde videns quia placeret Judæis, appositus ut apprehenderet et Petrum... *Quem cum apprehendisset, misit in carcerem... volens post Pascha producere eum populo.*

Resp.: Neg. ant. et min. probationis: nam cum illud

ier totum factum sit mari, poterunt omnia ista fieri inter 24 Januarii et Pascha. Et ut id demonstrem, suppono quod navis singula horâ possit facere in pleno mari duas leucas et medium quadrante (hoc certò ad minus facit navis velox) tunc faciet singulo die cum nocte 51 leucas. Hoc posito, conficiet iter 1600 leucarum spatio 31 dierum cum medio, ut patet supputanti; adeoque restabunt adhuc 54 dies et medius pro seditione, etc., ac presentia Herodis.

Non puto suppositum, de velocitate navis in pleno mari, posse negari: nam Carolus V imperator Barchinone venit in Sardiniam spatio quatuor dierum: Iter autem Româ Jerosolymam non est quater longius. Item Philippus II, Hispania rex (ut refert auctor Historia ecclesiastica, Fleury, tomo 50, pag. 544), spatio duorum dierum et medii ex Gallicia appulit Clausentium (Southampton) in Angliâ, quod est iter circiter 240 leucarum; adeoque singula horâ conficit 4 leucas; et sic 1000 leucas conficiet spatio 17 dierum, qui dempti à 66 diebus, relinquent 49 dies, seu septem hebdomadas, quæ largè sufficiunt pro ortâ et sedatâ seditione, etc., de quibus loco supra citato agit Josephus.

Solent etiam nonnulli, in cap. 12 Act. apost., inquirere an S. Jacobus, quem circa Pascha Jerosolymis occidit Herodes Agrippa, iverit in Hispaniam prædicatum Evangelium. Plurimi probabilis negant cum Estio, qui adducit has rationes, quia non erat Spiritus sancti instinctu in illas regiones profecturus, in quibus nullam erat facturus fructum, et sine fructu statim Jerosolymam rediturus. Deinde quid in Hispaniâ passus est? Quid egit? Fundavitne aliquam Ecclesiam, aut ultimum repositum successorem episcopum vel presbyterum? Deuicque quando ab Herode occisus est, vix incoeperant apostoli gentibus prædicare Evangelium. Cæterum qui plura desuper desiderat, legat historicos ecclesiasticos.

CAPUT XIII.

Paulus et Barnabas peculiari Spiritus sancti jussu verbum Dei annuntiant in locis, in quibus hæc tamen non annuntiaverant, videlicet in Cypro insulâ, in Pamphylia, in Pisisiâ, et inde eieci venerunt Iconium.

QUESTIO PRIMA.

An v. 2 per *et*, ministrantibus, intelligi possit, sacrificantibus.

Vers. 2: *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Pro *et*, ministrantibus, in textu Græco habetur *λεειτουργοῦντων*; quæ vox est propria operandum sacris; unde translatio Tigurina ita vertit: *Cum operarentur Domino.* Sacris autem, vel Deo operari, est sacrificare: sacrificium enim est opus Deo soli debitum et proprium. Unde

Resp. et dico: Probabilis est per *et*, ministrantibus, intelligi debere, sacrificantibus.

Prob. 1^o: Quia ita vertit Erasmus, quamvis in suâ

Paraphrasi innuat, omne opus bonum in honorem Dei factum, esse sacrificium.

Prob. 2^o: Quia jam præfata vox Græca, *λεειτουργοῦντων*, significat sacrificium propriè et strictè sumptum, nisi aliquid apertè obstat. Sic Lucae 1, v. 23, ubi nos legimus de Zachariâ: *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, scilicet sacrificandi seu adolendi incensum, Græcè habetur, τῆς λειτουργίας αὐτοῦ.* Et ad Heb. 10, v. 11: *Omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, Græcè habetur ἡμέρας λειτουργῶν.* Unde Missa Græcè vocatur *λειτουργία*, ut *Liturgia Basilii, Liturgia Jacobi*, etc.

Prob. 3^o ex ipso textu et circumstantiis; dicitur enim: *Ministrantibus illis Domino, et jejunantibus.* Quale autem ministerium potuissent Domino exhibere, nisi sacrificium? Si enim quæcumque opera bona voluisset S. Lucas intelligere, non debuisset addere: *Et jejunantibus.*

Prob. 4^o, quia de Ecclesiâ, quæ erat Jerosolymis, dicitur supra, cap. 2, v. 42: *Erant autem perseverantes in doctrinâ apostolorum et communicatione fractionis panis, id est, Eucharistia; ut exponunt Patres; alioquin non esset magna laus pro primis fidelibus quod essent perseverantes in manducando, aut in frangendo panes.* Ergo similiter dicendum est quod Ecclesia nova, quæ jam oriebatur Antiochie, etiam perseveraret in fractione panis Eucharistia; adeoque per, *ministrantibus Domino*, intelligitur Eucharistiam seu sacrificium offerentibus.

Dices: Vox Græca *λειτουργία* significat ministerium in generali, tam profanum quam sacrum. Unde ad Rom. 13, v. 6, ubi Apostolus de civilibus potestatibus, tunc temporis ethnicis, dicit: *Ministri Dei sunt, in Græco habetur: Ἀστρονομῶν Θεῶν.*

Resp. quod nullibi accipiatur pro ministerio profano, nisi ubi id ex subjectâ materiâ constat; ubi autem ex subjectâ materiâ et circumstantiis non constat quod accipiatur pro ministerio profano, semper accipiatur pro ministerio sacro, seu sacrificio; atqui hic nec ex subjectâ materiâ, nec ex circumstantiis constat quod accipiatur pro ministerio profano; ergo. Plura desuper vide apud polemicos, quorum tamen aliqui, ut Bellarminus et Petrus Bartholomæus, ingenus factentur hunc locum non convincere hæreticos. Itaque fortiter ac multum probat, sed non omnino convincit.

QUESTIO II.

In quem finem Paulus et Barnabas impositionem manuum hic acceperint.

Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos; id est, ad Evangelium gentibus predicandum, ut ipse Paulus in principio Epist. ad Rom. interpretatur, dicens: *Segregatus in Evangelium Dei, etc.* Cum autem illi quibus hic Spiritus sanctus locutus est, statim usi fuerint jejunio, et oratione et impositione manuum, certè aliquam ordinationem Paulo et Barnabæ videntur contulisse. Deinde, ut quæst. præced. dictum est, probabilis adhiærent

sacrificium Missæ; ergo ipsis contulerunt aliquam ordinationem.

Insuper illud videtur innuere verbum, *segregate*: nam per sacram ordinationem homines à cæteris ministeriis segregantur, et uni speciali deputantur, ut illud dignè exercent; ut alii ad diaconatum, alii ad presbyteratum, alii ad episcopatum; ita ut quisque suo ministerio deputatus, rectè dici possit *segregate*.

Resp. et dico 1^o: Paulus et Barnabas non acceperunt hic sacramentum confirmationis.

Probatur, quia Paulus verosimilibus illud sacramentum accepit, dum ab Ananiâ baptizatus est. Item de Barnabæ credendum est quod istud sacramentum antea susceperit: nam ipse fungebatur modò munere apostolico; ut constat ex cap. 11, v. 22 et seqq.

Dices: Ananias non erat episcopus; ergo non contulit Paulo sacramentum confirmationis.

Resp. Neg. ant. Nam Chrysost., hom. 20 in Acta, dicit, ipsum fuisse episcopum, et confirmasse S. Paulum.

Deinde illo tempore sæpè accipiebant Spiritum sanctum sine impositione manuum, ut Cornelius cum totâ suâ familiâ. Potuit ergo et similiter Paulus Spiritum sanctum accepisse sine impositione manuum Ananiam.

Dico 2^o: Nec etiam ordinati fuerunt in apostolos.

Prob. 1^o: Quia apostolatus, ut sic, non est ordo: nam duodecim apostoli fuerunt ad apostolatam evecti in initio prædicationis Christi, et tantum facti sunt sacerdotes in ultimâ cœnâ; unde dum apostoli elegerunt Mathiam in apostolum, non leguntur ipsi manus imposuisse.

Prob. 2^o, quia Paulus, ad Galat. 1, gloriatur de suo apostolatu, quod fuerit immediatè à Deo, non ab hominibus, neque per hominem, sed immediatè per Jesum Christum statutus apostolus.

Prob. 3^o, quia ante hanc ordinationem Paulus modò apostolatus officium exercuerat, supra, cap. 9, v. 20.

Dico 3^o: Paulus et Barnabas acceperunt hic manuum impositionem, et crearentur episcopi. Ita Salmeron, Lintrens, Tirinus et Menochius.

Prob. 1^o, quia dicit hic Spiritus sanctus: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, scilicet ad predicandum Evangelium gentibus, prout ipsemet interpretatur ad Rom. 1, v. 1.* Deinde subiungitur hic, v. 4: *Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam; et inde navigaverunt Cyrum. Et cum venissent Salaminam, predicabant verbum Dei, etc.* Atqui tunc multi specialiter ad predicandum verbum Dei, etc., est propriè constituti episcopi. Unde episcopo, dum ordinatur, dicitur: *Accipe Evangelium, et vade, et prædica verbum Dei.* Ergo cum tunc missi fuerint specialiter, et Spiritus sancti auctoritate donati, censendum est illos tunc fuisse institutos episcopos.

Prob. 2^o, quia, cap. 14, v. 22, dicitur quod Paulus

et Barnabas constituerint *per singulas Ecclesias presbyteros*, quod tamen antea non fecerant, sed tantum Judæis prædicaverant. Ergo signum est quod tunc fuerint ordinati episcopi.

Prob. 2^o, quia impositæ fuerunt illis manus; atqui illa cæremnia nunquam ab apostolis, aut à primis fidelibus fuit adhibita, nisi ad conferendum sacramentum confirmationis vel ordinis; et non fuit illis tunc collatum sacramentum confirmationis, ut jam ante monstratum est; ergo collatum est sacramentum ordinis, scilicet presbyteratus et episcopatus, cum cap. 14 legantur ordinasse presbyteros.

Obj. 1^o. Nulli tunc erant Antiochie episcopi, qui illos ordinarent; ergo non acceperunt impositionem manuum, ut crearentur episcopi.

Prob. ant. Quia, v. 11, dicitur: *Erant autem in Ecclesiâ, quæ erat Antiochia, prophetae, et doctores, in quibus Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, et Sautus.* Nec plures ibi numerantur; atqui illi non erant episcopi; nam tantum vocantur *doctores et prophetae*, et inter ipsos, ponitur Barnabas primo loco, qui juxta nos certè tunc non erat episcopus; ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Nam licet loco citato non plures numerentur, quam isti prophetae vel doctores; poterunt nihilominus alii, nempe episcopi, adesse: siquidem potuit ibi esse S. Erodus, quem Petrus, dum vivit Romanam, reliquit sum successorem in cathedrâ Antiochenâ. Poterunt esse et alii: nam nimè credibile est quod apostoli florentissimam illam Ecclesiam in metropoli Syriae, reliquissent sine ullo episcopo. Imò vero simile est quod tunc ibidem fuerint aliqui ex apostolis. Unde S. Leo papa, epist. 81, ad Dioscorum Alexandrinum, quæ habetur in Decretalibus Ivoonis, lib. 5, putat ipsos ordinatos fuisse ab apostolis: sic enim scribit: *Nam præter auctoritatem consuetudinis quæ ex apostolica novimus venire doctrinâ, etiam sacra Scriptura manifestat quod, cum apostoli Paulum et Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Evangelium gentibus mitterent predicandum, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus; ut intelligamus quantitatem et dantiam, et accipientium devotione curandum sit, ne tante benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum.*

Obj. 2^o: Illi ipsi qui ibi nominantur, simul cum episcopo, vel cum episcopis, qui ibi non nominantur imposuerunt ipsi manus; concedo: sine ullo episcopo; nego majorem.

Disting. maj.: Illi ipsi qui ibi nominantur, simul cum episcopo, vel cum episcopis, qui ibi non nominantur imposuerunt ipsi manus; concedo: sine ullo episcopo; nego majorem.

Possent etiam negari minor; quia quod Simon et duc alii etiam fuerint episcopi, non est incredibile: nam Ecclesia Antiochena erat valde magna, adeoque requirebat plures episcopos. Si enim Ecclesia Philippensis habuerit plures episcopos, ut constat ex epist. ad Philip., cap. 1, v. 1, ubi dicit Apostolus: *Omnibus*

canctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus; à fortiori Ecclesia Antiochena habuit plures episcopos.

Nec refert 1°, quòd vocentur doctores; nam episcopi sunt etiam doctores.

Nec refert 2°, quòd Barnabas et Paulus nominentur inter illos, quia ipsi erant maximi doctores et prædicatores; et ideo fortè S. Lucas nominat ipsos tantum doctores, quia inter ipsos numerat Barnabam et Paulum qui erant tantum doctores, et non episcopi.

QUESTIO III.

Undenam Saulus nominatus sit etiam Paulus.

Resp. et dico: Nonnulli cum D. Thomà, lect. 1, in cap. 1 ad Rom., putant quòd apostolus Paulus ab initio binominis fuerit. Alii arbitrantur Paulum à suscepto baptisate mutasse nomen Saulus in Paulus. Verum contra has opiniones facit quòd hic in Actibus apostolorum, etiam post baptismum, nunquam Paulus, sed semper vocetur Saulus, usque ad hoc cap. 15, v. 9, ac proinde veriorem puto sententiam eorum qui dicunt quòd Saulus dictus fuerit Paulus, à Sergio Paulo proconsole, quem ad fidem Christi convertit.

Prob. 1°: Eo tempore Apostolus videtur nomen Paulus, assumpsisse, quo nunquam amplius, Saulus sed semper Paulus appellatus fuit; atqui post Sergii Pauli conversionem, que refertur hic, v. 7, 8 et 12, nunquam amplius Saulus, sed semper Paulus appellatus fuit; ergo tunc nomen illud assumpsit: et sic nomen Judæicum Saulus levi mutatione unius litteræ mutavit in nomen Romanum Paulus; quia deinceps inter Romanos et gentes, tanquam gentium doctor et apostolus egit.

Prob. 2°, ex S. P. Aug., qui lib. 8 Confess., cap. 4, hanc sententiam tradit his verbis: *Ipsè minimus apostolorum tuorum, cum Paulus proconsul per ejus militiam debellatâ superbâ, sub leni jugo Christi tui missus esset... ipse quoque ex priore Saulo, Paulus vocari coepit, ob tam magnam insigne victorie.* Eandem sententiam etiam tradit S. Hieron. in Epist. ad Philemonem.

Obj. 1°: Paulus nunquam titulos vel honores mundanos curavit; atqui illos curasset, si ob tam magnam insigne victorie nomen Saulus mutasset in Paulus; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Non enim ex aliqua vanâ glorie cupiditate illud nomen assumpsit, sed potius ex humillimâ animi demissione, ut sic significaret se esse parvum et minimum apostolorum: nam nomen gentile et Romanum Paulus à parvitate deductum est; ut observant Fromondus et à Lapide. Et id S. P. Aug., lib. de Spir. et Litt., cap. 7, confirmat sequentibus verbis: *Idèò Paulus apostolus, qui cum Saulus prius vocaretur, non ob aliud, quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi ut se ostenderet parvum, tanquam minimum apostolorum, militiam contra superbos et arrogantés, et de suis operibus præsumentes, pro commendandâ Dei gratiâ fortiter atque acriter dimicans, quis reverâ in illo*

evidentior et clarior apparuit, et rursus, in Psal. 71, dicit quòd apostolus non aliqua jactantiâ sibi nomen mutaverit, sed ex Saulo, sive Saule (quod superbi regis nomen fuit) factus est Paulus, ex superbo modicus.

Inst.: Idèò juxta jani dicta Apostolus nomen suum mutavit, quia ex superbo factus est humilis et parvus. Ergo non tantum post Sergii Pauli conversionem, sed in baptismo, seu in suâ ad Deum conversione debuisse illud mutare; siquidem tunc contingere solet, ut quis se coram Deo humiliet; atqui tamen tunc nomen suum non mutavit; ergo illud non mutavit, quia ex superbo factus est humilis.

Resp. Neg. primam illationem; quia magis conveniebat, ut hoc nomen tum demum assumeret, quando jam fidem et gratiam Christi prædicaturus erat gentibus, ut sic facilius et blandius se Romanis ac Grecis, quasi re et nomine Romanus, insinuaret, necnon contra superbos ac de suis operibus præsumentes, pro commendandâ Dei gratiâ tanquam humilis, et minimus apostolorum fortiter dimicaret; ut jam ex S. Aug. audivimus.

Obj. 2°: Hic, v. 9, aperte habetur: *Saulus qui et Paulus*, subintellige vocabatur; ergo Apostolus fuit binominis.

Resp. Negando glossæ adjunctum; quia hoc hic non dicitur ad designandum eum fuisse binominem, sed ut insinuetur quòd, qui antea vocabatur Saulus, jam nomen suum mutasset in Paulus. Unde et S. Lucas, sicuti antea ipsum nunquam Paulum, sed semper appellaverat Saulum, deinceps semper Paulum, et nunquam amplius Saulum appellare pergit.

Cap. 14, Paulus et Barnabas Iconii, et in variis aliis civitatibus plurimos ad fidem convertunt; deinde revertuntur ad mare, et Antiochiam Syriæ navigant, narranteque confratribus progressum Evangelii in Asiâ. Circa hoc non est specialis difficultas.

CAPUT XV.

Subortâ Antiochiæ questione, an gentiles conversi deberent circumcidi, et servare legem Moysis, mittuntur Jerosolymam ad apostolos et presbyteros Paulus et Barnabas, ad hujus questionis solutionem petendam. Celebratum est hæc occasione primum concilium Jerosolymitanum, in quo definitum fuit legem non esse miscendam Evangelio: sed tamen statutum fuit, ut novi Christiani et gentilibus conversi, ab idololâtris, sanguine et suffocato abstinerent.

QUESTIO UNICA.

Quandonom habitum fuerit concilium Jerosolymitanum.

Resp. et dico: Illud concilium habitum fuit anno 50 aere vulgaris.

Probatur, quia Paulus ad Galat., cap. 2, v. 1, dicit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnabâ.* Hoc est, post quatuordecim annos à primâ vice, quâ Jerosolymam iterat, triennio post conversionem suam. Porro, ut supra, cap. 9,

quest. 1, dictum est, ejus conversio fuit anno 55; adeoque prima ejus profectio fuit anno 56. Illis adde 14, et habebis præcisè 50. Atqui illo anno quo Paulus ascendit Jerosolymam cum Barnabâ, habitum fuit concilium Jerosolymitanum, ut constat ex hoc cap. Act., collato cum cap. 9 Epist. ad Galat.; ergo, etc.

Dices: Communis Ecclesiæ, SS. Patrum et historicorum antiquorum sententia ac traditio est quòd S. Petrus fuerit pontifex Romæ 25 annis incompletis; ergo concilium Jerosolymitanum, in quo Petrus præsedit, non fuit anno 50.

Prob. conseq., quia ab anno 50 usque ad 66, quo nos sustinemus Petrum fuisse martyrio affectum, tantum sunt 16 anni.

Resp. Neg. conseq., quia S. Petrus circa finem anni 41 ivit Romam, ibique sedem fixit. Sed eam ipse esset Judæus, Româ discedere coactus fuit, quia Claudius imperator omnes Judæos Româ expulerat, ut constat ex hoc lib., cap. 18, v. 2. Hoc autem contigit anno imperii ejus nono, id est, anno aere vulgaris 49, ut refert Orosius. Hoc igitur anno Petrus discessit Româ, et anno 50 potuit esse Jerosolymis.

Inst.: Infra cap. 18, v. 1 et 2, dicitur: *Egrezzus (Paulus) ab Athenis, venit Corinthum; et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (cujus quòd præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Româ) accessit ad eos.* Atqui Aquila dicit post concilium Jerosolymitanum venit Corinthum; ergo Petrus non discessit Româ propter edictum Claudii.

Resp. Neg. conseq. Nam Aquila jussus exire Româ, mansit alibi in Italia, donec sua negotia finivisset; et tunc tandem ex Italia discessit versus patriam suam. Unde non dicit S. Lucas: *Qui nuper venerat Româ*, sed: *Qui nuper venerat ab Italia.* Et quamvis diceret: *Qui nuper venerat Româ*, inde tantum sequeretur quòd Aquila dicit mansisset in viâ.

Præceperunt autem apostoli in concilio Jerosolymitano, ut Christiani abstinerent à cibus immolatis idolis, scilicet propter scandalum, ne viderentur adhuc aliquem cultum suis idolis exhibere. Præceperunt etiam ut abstinerent à sanguine et suffocato, quia, Judæi ab isto cibo multum abhorrebant, et sic non faciliè cum gentibus ad fidem conversis conversati fuissent; et hoc præceptum erat faciliè observatum. Unde S. P. Aug., lib. 52 contra Faustum, cap. 15, dicit: *Elegisse mihi videntur apostoli pro tempore rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, in quâ cum Judæis etiam gentes aliquid communiter observarent.* Nec tamen per hoc aliquid legale impositum est; sed tanquam morale hoc præceptum est, inquit Estius, ut per hanc abstinentiam ab omni eade et crudelitate essent magis alii. Hoc præceptum tandem in Ecclesiâ Latînâ exolevit.

Præceperunt insuper, ut gentes abstinerent à fornicatione, quia nempe simplicem fornicationem non putabant illicitam.

Hoc apostolorum responsum Antiochiam delato, Paulus nolens in comitem assumere Joannem aut Marcum,

quia ipsos antea deseruerat, assumpto Silâ, à Barnabâ separatur; Deo ita providente, ut in diversas nationes dispergeretur prædicaturi Evangelium.

Cap. 16, Paulus circumcidit aut circumcidit jubet Timotheum, ex matre Judæâ et patre gentili natum; non tanquam circumcisio adhuc esset necessaria, sed propter Judæos, ut eos sibi demereretur, ne aliquam remoram Evangelio injicerent; aut Timotheum, quem Paulus assumpserat in socium prædicationis, rejicerent. Non enim sustinissent Judæi Evangelium audire ab homine hircæmicio.

CAPUT XVII.

Paulus cum suis discipulis Philippis vadit Thessalonicam, ubi multos convertit; sed Judæis cum persequentibus, abiit Beræam, et inde Athenas, ubi occasione aere ignoto Deo dicitur, Deum hunc Christum esse demonstrans, plurimos ad ejus fidem convertit, et inter alios Dionysium Areopagitem.

QUESTIO UNICA.

Cui ignoto Deo Athenienses altare erexit.
Vers. 22: *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteritis enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram in quâ scriptum erat: Inxorto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. S. Hieron., in cap. 1 Epist. ad Titum dicit: Inscriptio aræ non ita erat ut Paulus asseruit, sed ita: *Diis Asiae et Europæ et Africa; diis ignotis et peregrinis. Verum quia Paulus non plurius indiget diis ignotis, sed tantum uno ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illam suam esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo promouissent.**

Alii putant quòd esset Athenis antiqua aræ, olim erecta ex consilio Epimenidis philosophi, occasione ejusdem pestis que depopulabatur totam civitatem. Eo tempore oraculum responderat civitatem delere purificari, ut pestis cessaret; atque in hunc finem Athenienses accesserunt ex Creta Epimenidem famosum philosophum, sui potius magum, crederet sex annis ante Christum. Hic cum venisset Athenas, accepit omnes oves albas, et oves nigras, quas deduxit ad collem civitatis, ubi erat areopagus. Inde dimisit illas, ut currerent quòd vellet, et jussit reflecti ubinam tandem manerent stantes, et in eodem loco, ubi quilibet stabat, jussit quilibet immolari Deo loci vicinioris, vel Deo cui competeret; quò facto pestis cessavit. Hanc historiam narrat Laertius Diogenes (qui vixit circa finem seculi secundi), lib. 1 in Epimenide; et deinde addit: *In agris et in pagis Atticis videtur erecta altaria sine nomine altioris dei, in memoriam istius expiationis factæ per Epimenidem.*

Alii putant aram ignoto Deo erectam, esse illam de quâ agunt Philostratus, lib. 6, cap. 2, et Lucianus seu auctor Dialogi Philopatris. Dicunt autem illi Athenis fuisse plures aras inscriptas ignotis diis. Lucianus in citato dialogo ait: *Cum venissemus Athenas, et illic invenissemus deum incognitum, illum adoravimus, gratiasque rependimus, levatis in cælestium manibus.*

Satis vero simile est quòd S. Paulus agit de illo

ignoto Deo, de quo agunt jam memorati auctores, non autem de illo de quo agit Laetius Diogenes: quia arae Epimenidis nulli Deo erant inscriptae nec noto nec ignoto; nec etiam erant in civitate, sed in agris et in pagis.

Non videtur etiam Apostolos agere de illa arâ, de qua dicit S. Hieron. quod esset inscripta: *Diis Asiae, et Europae, et Africae, diis ignotis et peregrinis*. Nam tunc Paulus istam aram non satis distinguisset, dicendo quod esset inscripta *ignoto Deo*, quia erat inscripta multis diis notis et ignotis: adeoque probabilis agit de illa arâ de qua agunt Philostratus et Lucianus.

Sed jam quaeritur quem Deum Athenienses intelligerent per Deum ignotum. Sanctius, à Lapide, Lorianus et Menochius existimant ipsos intellexisse Deum verum, qui tunc à Judaeis colebatur. Ratio est, quia Apostolus dicit: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. Atqui Apostolus annuntia- vit ipsis Deum verum; ergo ignorantes colebant ipsum.

Resp. Neg. consequ., quia sensus S. Pauli est hic: *Haecentis colistis unum Deum ignotum, quem putastis vestris diis similem, adeoque ignorastis qui et qualis iste Deus ignotus sit: quem ergo hucusque ignorastis, hunc ego vobis annuntio, ostendamque quod ille Deus, quem vobis predicaveram, sit solus verus, et unicus Deus*. Sicut igitur idem Apostolus verba v. 28: *Ipsius enim et genus sumus, quae ab Arato poeta Graeco, non de Deo vero, sed de Jove dicta erant, applicat Deo vero, quia cum omnibus suis circumstantiis à parte rei non Jovi, sed Deo vero conveniunt; ita similiter illud: Ignoto Deo, quod ab Atheniensibus saltem reflexè non de vero Deo, sed quodam alio incognito Deo intelligebatur, Deo vero applicat, quia et istud ipsi conveniunt*.

Obj. 3^a: S. P. Aug., lib. 1. contra Cresconium, cap. 29, dicit de Apostolo: *Quid eis prestare cupiebat, nisi ut eundem Deum, quem praeter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter et salubriter colerent*. Ergo juxta Augustinum Athenienses per ignotum Deum intellexerunt Deum verum.

Resp. Neg. consequ. Nam Augustinus ibi agit contra Donatistas schismaticos, et vult probare quod quidquid fit extra Ecclesiam, sit inutile ad salutem, sive sit cultus veri Dei, sive sit vera fides, qualis est in schismaticis; sive sic baptismus respectu adultorum, qualis est collatus ab haereticis materiam et formam ritè applicantibus. Et sicut Athenienses non debebant deserere verum Deum (cui non reflexè, sed exercitè aram exererant) sic nec schismatici debent suam fidem deserere, sed tantum venire ad Ecclesiam, ut possint salvari; et ita similiter baptizati ab haereticis non debent suscipere novum baptismum, ut salventur, sed tantum debent venire ad Ecclesiam.

Certum autem est quod Augustinus non velit ibi insinuare quod Athenienses tam benè noscerent, et scirent se colere Deum verum, quam schismatici sciunt et retinent veram fidem, et haeretici norunt ac retinent verum baptismum; illi nempe haeretici, de quibus ibi erat questio, qui mirum omnia requisita ad valorem baptismi exactè observabant; adeoque tantum ponit ibi Augustinus paritatem inter inutilitatem cultus Dei extra Ecclesiam et inutilitatem fidei ac ba-

Sic ubi disponant, quisquis fuit ille deorum, Congeriem secuit.

Obj. 1^a: Si Athenienses fuerint tam supersticiosi, ut voluerint colere omnes deos omnium nationum, etiam voluerunt colere Deum Judaeorum; ergo verosimilius est quod haec ara fuerit illi inscripta.

Resp. Neg. sequelam antecedentis: nam sicut magistratus haeretici permittunt quemlibet pacificè vivere in sua sectâ, exceptâ fide Romano-Catholica, ita similiter gentiles omnium nationum diis templa et aras erigebant, praeterquam vero Deo Judaeorum. Sic Romani quamvis omnibus diis aras erigerent, nunquam tamen unam exererunt Deo Christianorum.

Obj. 2^a: Dicit Apostolus: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. Atqui Apostolus annuntia- vit ipsis Deum verum; ergo ignorantes colebant ipsum.

Resp. Neg. consequ., quia sensus S. Pauli est hic: *Haecentis colistis unum Deum ignotum, quem putastis vestris diis similem, adeoque ignorastis qui et qualis iste Deus ignotus sit: quem ergo hucusque ignorastis, hunc ego vobis annuntio, ostendamque quod ille Deus, quem vobis predicaveram, sit solus verus, et unicus Deus*. Sicut igitur idem Apostolus verba v. 28: *Ipsius enim et genus sumus, quae ab Arato poeta Graeco, non de Deo vero, sed de Jove dicta erant, applicat Deo vero, quia cum omnibus suis circumstantiis à parte rei non Jovi, sed Deo vero conveniunt; ita similiter illud: Ignoto Deo, quod ab Atheniensibus saltem reflexè non de vero Deo, sed quodam alio incognito Deo intelligebatur, Deo vero applicat, quia et istud ipsi conveniunt*.

Obj. 3^a: S. P. Aug., lib. 1. contra Cresconium, cap. 29, dicit de Apostolo: *Quid eis prestare cupiebat, nisi ut eundem Deum, quem praeter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter et salubriter colerent*. Ergo juxta Augustinum Athenienses per ignotum Deum intellexerunt Deum verum.

Resp. Neg. consequ. Nam Augustinus ibi agit contra Donatistas schismaticos, et vult probare quod quidquid fit extra Ecclesiam, sit inutile ad salutem, sive sit cultus veri Dei, sive sit vera fides, qualis est in schismaticis; sive sic baptismus respectu adultorum, qualis est collatus ab haereticis materiam et formam ritè applicantibus. Et sicut Athenienses non debebant deserere verum Deum (cui non reflexè, sed exercitè aram exererant) sic nec schismatici debent suam fidem deserere, sed tantum venire ad Ecclesiam, ut possint salvari; et ita similiter baptizati ab haereticis non debent suscipere novum baptismum, ut salventur, sed tantum debent venire ad Ecclesiam.

Certum autem est quod Augustinus non velit ibi insinuare quod Athenienses tam benè noscerent, et scirent se colere Deum verum, quam schismatici sciunt et retinent veram fidem, et haeretici norunt ac retinent verum baptismum; illi nempe haeretici, de quibus ibi erat questio, qui mirum omnia requisita ad valorem baptismi exactè observabant; adeoque tantum ponit ibi Augustinus paritatem inter inutilitatem cultus Dei extra Ecclesiam et inutilitatem fidei ac ba-

ptismi extra Ecclesiam; non verò inter cognitionem quam habebant Athenienses de Deo vero, et inter cognitionem, quam habent purè schismatici de verâ fide, et haeretici de vero baptismo: siquidem quod Athenienses non talem notitiam de ignoto Deo habuerint, qualem habere debuissent, inde manifestum est quod ei multa falsâ, veroque Deo indigna tribuerent, prout hoc cap. ex sermone S. Pauli patet. Nam ex v. 24 et 25 constat quod putaverint illum Deum intra templa concludi, sicut statuae et idola sua. Item existimârunt quod iste Deus honoraretur per manus hominum, qui ei aras et templa erigebant, aut victimas immolabant, quasi talibus indigeret, quos errores Apostolus refutat dicens quod Deus, cum sit cœli et terræ Dominus, non in manufactis templis habitet, nec manibus humanis colatur indigens aliquo. Patet igitur quod S. Paulus, et D. Augustinus inscriptionem illam: *Ignoto Deo*, vero Deo applicare poterint, quamvis à parte rei Athenienses eandem Deo vero reflexè non applicaverint.

Occasione hujus loci dicit Lintrensis: Hoc exemplum Pauli apodoli, citantis Aratum poetam Graecum, nihil juvat eos qui in sacris concionibus libenter multa ex profanis auctoritatibus intextunt, cum ad Dei verbum doctrinamque sanam, hoc est, divinam, nihil nisi sanum proferre deberent. Nihil, inquam, eos Apostoli exemplum juvat; qui non fidelibus loquitur, sed ethnicis, et quidem literatis, apud quos suorum auctorum testimonia valere debebant. Deducit planè sacram concionem, quae apud fideles habetur, in modum agendi à vanâ multiplici eruditionis ostentatione profectus, qui non modo non exornat, sed magnooperè etiam foedit et elevat sacram salutis doctrinam, quasi ea sibi non sufficiat. Allegavit quidem in cap. 1 ad Titum hic ipse Apostolus versiculum ex Epimenide, sed ad confirmandum rem facti, non ad salutarem doctrinam fidei aut morum: videlicet ad decedendum testimonio poetae Cretensis, malos esse mores Creten- sium. Ita Lintrensis.

Similiter etiam Fromondus, in hoc cap., dicit: S. Paulus argumento solum ad hominem usus hic est auctoritate poetae, cujus apud ipsos valebat auctoritas; nam alias parèe, et per modum condimenti, theologo et concionatori auctoritate litterarum scen- tularium utendum est, ne sacrae Scripturae vinum nimia secularium disciplinarum aqua diluatur. Constat enim experientia concionatores illos qui vinum litteris et historicis secularibus dilutum propinant, non inebriare suos auditores charitate, sed curiositate ac vanitate inflare. Laborant ergo, et student in vanum isti concionatores, et Deo rationem et penam dabant temporis amissi, et pietatis in cordibus auditorum ex- stincta, quam accendere debuissent divini amoris sagittis, quae Scripturae sacrae arcu exeuntur, inquit, in Psal. 7, S. Augustinus

CAPUT XVIII.

Athenis Corinthum pergit Paulus, ubi jussu Dei, amplam messem promittentis, praedicat integro anno

et medio. Accusatus à Judaeis purgat se apud pro- consulum, in cujus conspectu aliqui furentes So- sthenem principem synagogae verberant. Post haec Paulus peragrât Ephesum, Caesaream, Antiochiam, Galatiam et Phrygiam. Apollo à Priscilla et Aquila instructus, Ephesi et in Achaia fidem Christi forti- ter propagat et propagat.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis fuerit ille Sosthenes, et à quibus percussus.
Dubitatur hic an ille Sosthenes sit idem qui, v. 8, vocatur Crispus.

Ratio dubitandi est quia Sosthenes dicitur hic fuisse princeps synagogae, quae erat Corinthi, et v. 8, dicitur Crispus fuisse archisynagogus; id est, princeps synagogae; dicit enim sacer textus: *Crispus autem archisynagogus creditur Domino cum omni domo sua*. Resp. et dico 1^a: Crispus et Sosthenes fuerunt di- versi.

Prob. 1^a quia Paulus scribit primam epistolam ad Corinthios suo et Sosthenis nomine, dicens cap. 1, v. 1: *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesiae Dei, quae est Corinthi*. Et v. 14 dicit: *Gratias ago Deo, quod neminem vestram baptizavi, nisi Crispum et Caicum*. Ex his liquet quod Sosthenes sit unus qui cum Paulo scribit, et Crispus sit unus illorum ad quos scribit; ergo Crispus et Sosthenes sunt diversi.

Prob. 2^a ex Martyrologio Romano, ubi celebratur memoria Crispi, die 4 octobris, Sosthenis verò die 28 novembris.

Ad rationem in oppositum allatam dico vel Corinthis fuisse duas synagogas, vel Sosthenem fuisse à Judaeis suffectum in locum Crispi, jam ad fidem conversi, vel denique in eisdem synagogâ fuisse plures principes synagogae; sicuti plures erant in synagogâ Antiochia: Psidia, uti liquet ex cap. 15 hujus libri, ubi, v. 13, dicitur quod post lectionem legis, et propheta- rum miserint principes synagogae ad eos (nempe ad Paulum, et illos qui cum ipso erant) dicentes: *Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite*.

Dico 2^a: Dum Sosthenes fuit percussus, tunc modò credebatur in Christum, licet forte nondum esset baptizatus, et nondum publicè profiteretur Christum. Hujus resolutionis probatio dependet à sequenti. Unde

Dico 3^a: Sosthenes percussus fuit à Judaeis.

Prob. 1^a quia id innuit totus contextus, qui sic habet v. 12: *Gallione autem proconsule Achaiae, insurrexerunt uno animo Judaei in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. Incipientem autem Paulo aperire os, dicit Gallio ad Judaeos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ò viri Judaei, rectè eos sustinerem. Si verò quaestiones sunt de verbo, et nominibus et lege vestra, vos ipsi vidistis: Index ego horum nolo esse. Et minavit eos à tribunali. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogae, percutiebant eum ante tribunal: et nihil eorum Gallioni curae erat. Ex quibus verbis clarum videtur quod de his de qui-*

bus Lucas dicit: Et minavit eos à tribunali, de eisdem immediate subiungit: Apprehendentes autem omnes Sosthenem, etc.

Confirmatur 1º: Quia subditur: Et nihil eorum Gallioni curae erat, quia tempore, v. 14, dixerat se rem non neglecturum, si Paulus aliquid iniuriarum aut enim aliquid fecisset: quare ergo viderit percussit archisynagogum, id negligit, nisi quia videbat id fieri ob questionem de lege ipsorum, de qua materia iam protestatos fuerat se nolle iudicare? Ideò igitur nihil eorum ipsi curae erat, quia rerum illarum volebat esse iudex.

Confirmatur 2º: Si alii quàm Judaei Sosthenem percussissent, proconsul Gallio haud dubiè ipsos punivisset; nam tunc non fuisset difficultas propter aliquam questionem, de lege Judaeorum, de qua Gallio nihil volebat iudicare; sed difficultas fuisset propter aliquid à lege Indaeorum distinctum, adeoque propter rem aliquam politicam, quam Gallio debebat, et volebat iudicare. Et sane non est credibile quòd proconsul ille, qui dixerat se non defuturum suo officio, si Paulus commississet aliquid crimine politicum contra Judaeos, permisisset eodem tempore, et quidem eorum tribunalii suo, et in sua praesentia ipsorum principum, et antesignanum tam iniuriòse percussit ab aliis quàm à Judaeis ipsis.

Adde quòd Judaei, genus omnium nationum maxime seduliosissimi, non permisissent archisynagogum suum à gentilibus iniuriè affici (ut constat ex historicis illius temporis) ob defensionem et emulationem legis Moysaicae; sed mox ipsam proconsulem seduliosè aggressi fuissent, prout in similibus casibus saepè fecerunt.

Prob. 2º: Quia rationes allarum sententiarum non videntur subsistere. Aliqui enim dicunt quòd fuerint Graeci noviter ad fidem conversi, qui Sosthenem percusserunt; idque propterea quòd ageret contra Paulum. Sed hoc nullo modo est credibile, quia nec in Scripturis, nec in historicis ullum est exemplum quòd primi Christiani percusserint infideles ad defendendam fidem; sed parati fuerunt illam defendere patiendi verbera, contumelias, irrationes et ipsam mortem, ad exemplum Christi, qui noluit defendi à Petro. Deinde Apostolus, qui ibi praesens erat, et in cuius gratiam Sosthenem percussissent, hoc passus non fuisset, cum in omnibus ferè suis Epistolis fideles contrarium doceat, ut, v. g., ad Rom. 12, v. 19: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum ira, etc.

Auctor Analytice cum aliis dicit quòd Graeci infideles percusserint Sosthenem, quia ipsos impedièbat ab audientia: cum enim illi haberent suas causas proponendas proconsuli, et per Judaeos impedièntur accedere, percusserunt Sosthenem, ut illum à tribunali abigerent. Ita divinant isti auctores.

Sed contra facti primò quòd ipsemet proconsul ipsos modò removisset à tribunali, dàd Sosthenes fuit percussus. Et minavit eos à tribunali. Apprehendentes autem omnes Sosthenem, percussit eum. Secundo, non percussissent unum solum, sed vero similitè plures;

quia plurimi Judaei convenerant ante tribunal. Tertio, quia mox orta fuisset seditio inter Judaeos et gentiles, quam Gallio impedire debebat; et tamen nihil eorum (quae ante tribunal fiebant) Gallioni curae erat.

Prob. 3º ex Martyrologio Romano, ubi 28 Novemberis ita legitur: Apud Corinthum multis sancti Sosthenis discipulis sancti Pauli, cuius mentionem facit idem Apostolus Corinthiis scribens. Illic ex principe synagogae conversus ad Christum, ante Gallionem proconsulem acriter verberatus, praecleara binitio fidei suae principia consecravit. Ergo dàd percussus est, erat modò conversus ad fidem; et consequenter vero similius est quòd fuerit percussus à Judaeis.

Obj. 4º: Nulla est ratio cur Judaei potius Sosthenem quàm Paulum verberassent.

Resp. Neg. assumpt. Ratio enim est patula, quia inimicam videbant illum dolose secum egisse, et esse causam quòd proconsul ipsos repulisset, eò quòd non sufficienter proconsulem contra Paulum interpellasset; imò ipsi Apostolo verbis et factis favisset.

Inst. cum auctore Analytice: Nullo modo est credibile quòd ipse archisynagogus, si tunc fuisset Christianus, voluisset venire cum Judaeis, tanquam ipsorum antesignatus, ad accusandum Paulum, et per consequens etiam ad fidem impugnandum.

Resp. tam vero simile esse quòd Sosthenes cum Judaeis voluerit venire ad tribunal Gallionis, quam certum est ex Joan. 7, v. 50, et Lucae 23, v. 51, quòd Nicodemus et Joseph ab Arimathea venerint ad concilium quòd tenebatur de occidendo Christo; quo tamen suo facto nec Christum accusarunt, nec tunc impugnarunt. Ita similitè Sosthenes cum esset princeps synagoga, concurrebat cum suis, non Paulum accusaturus, sed modo quo poterat meliori adjuturus.

Obj. 5º: In textu Graeco habetur: Et minavit eos à tribunali. Apprehendentes autem omnes Graeci Sosthenem, etc. Ergo Sosthenes fuit percussus à Graecis.

Resp. textum Graecum ibi esse corruptum, et Graeci, ab aliquo ignorante esse insertum; quia illi Graeci vel fuissent Christiani, vel gentiles; sed neutrum dici potest ob rationes supra dadas, prob. 1 et 2.

Deinde Graeci, non fuit etiam in omnibus codicibus Graecis, nam illud in suo codice non invenit nostre interpretes; nec etiam illud invenit S. Chrysostomus, hom. 59 in Acta, nec etiam Oecumenius: nam uterque istum locum exponit de Judaeis. Similitè in Graeco, v. 7, deest nomen Titus, quòd videtur vitiosè ommissum. Unde multi viri docti, inter quos etiam Erasmus, inquit Lintrensis, fatentur se opinari textum nostrum latinum novi Testamenti in quibusdam locis esse integriorem textu Graeco, qui hodie existat. Testatur quoque Tillemontius quòd etiam nunc in quibusdam manuscriptis Graecis, Graeci non habeantur, et in quibusdam habeatur, Judaei.

Inst. 1º: Chrysostomus, in praefatà homilia primo loco in quo illum textum citat, habet, Graeci, ergo.

Resp. Graeci lectioni isti etiam vitiose insertum esse, ut patet primò ex eo quòd sensum reddidit interpretum; haec enim sunt ejus verba: Dicit Gallio ad Ju-

daeos: Si quidem esset injuria, vel facinus malum, ò Judaei, merito susciperet vos. Si autem questio est de nominibus, et lege vestra, videritis ipsi: iudex enim hujus ego nolo esse. Et abegit illos à tribunali. Omnes autem Graeci apprehendentes Sosthenem synagogae principem verberabant ante tribunal. Neque quidquam eorum Gallioni curae erat. Et hic iterum iustitia viri (Gallionis) monstratur: nam cum ille verberaretur, non censuit privatam injuriam esse. Id est, non censuit illam injuriam esse civilem, sed tantum esse illam propter aliquam questionem de ipsorum lege. Adeò imprudentes erant Judaei, concludit Chrysostomus, ibidem. Si igitur hic S. doctor possidet ante: Graeci percusserunt, debuisse concludere: Adeò imprudentes erant Graeci, et non, Judaei. Item si id intellexisset de Graecis, non dixisset de Gallione: Non censuit privatam injuriam esse.

Patet secundò, quia paulò post repetens idem, omittit Graeci, et in fine exclamatur: O confusionem quà confusi sunt. Et mox subiungit: Percussit ipsi, facientes indiscreti furoris, per confusionem, opus. Quae posteriora verba non possunt intelligi de Graecis; sed de illis qui confusi fuerunt, qui percussio fecerunt opus indiscreti furoris, per confusionem, quà confusi fuerant; quia Gallio ipsos repulerat, et ipsorum querelas de violatà lege Moysis per Paulum, noluerat recipere. Item, praefat. in Epist. ad Hebr., aperte docet quòd fuerint Judaei; ait enim: In Judaea verò, quoniam etiam tum quaedam libertatis species manebat, nec volebantur suis legibus vivere (scilicet Judaei) nondum Romanis ad plenum subditi, non mirum, si quandam sibi vindicabant tyrannidem; quando et in alienis urbibus, sicut Corinthi, pulsabant archisynagogum ante tribunal proconsulis, Gallione quasi nihil ad se pertinere dissimulante. Vides igitur quomodo in externis urbibus apostolos ad magistratus adducunt, et profanorum contra eos opem postulant; domi verò nihil tale faciunt; sed ipsi convocato concilio, in quoscunque liberis, animadvertunt. Sic Stephanum interfecerunt. Quae omnia aperte agunt de Judaeis. Ergo signum quòd Graeci, sit vitiosè insertum in textu S. Chrysostomi.

Inst. 2º: S. P. Aug., epist. 48, dicit: Legimus tamen non solum quòd ceciderunt Judaei Paulum apostolum, verum etiam quòd ceciderunt et Graeci pro Paulo apostolo Sosthenem Judaeum.

Resp. idem sequi quòd Graeci ad fidem conversi pugnaverint pro Paulo, quod, ut supra probavimus, nullo modo credibile est. Quare dicendum est quòd Augustinus illud ita legitur in codice corrupto, quales ipsius tempore multi erant, et jam sunt omnes Graeci. Unde non dicit Augustinus rem ita esse, sed: Legimus.

QUESTIO II.

Qui jussit sibi tonderi caput, et quare.

Vers. 18: Paulus verò cum adhuc sustinisset dies multos, patribus valedicens, navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila) qui sibi tonderant in Caesarea caput; habebat enim votum. Deinde, cap. 21, v. 26, dicitur: Tunc Paulus, assumptis viris, postera

die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians explorationem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblato. Duplex est hic difficultas: prima an Paulus, an verò Aquila totonderit sibi caput; secunda, an votum illud ob quod sibi caput tondidit, fuerit votum nazaraeatis.

Sustinet aliqui quòd fuerit Aquila, qui sibi tondidit caput; et fortasse idcirco, inquit Lintrensis, hic propositum est viro nomen uxoris, ut quod sequitur (prout habetur in Graeco) tonsus commodius annecteretur nomini Aquilae, quod proximè praecedit, quando nomen uxoris preponitur nomini mariti. Hoc etiam facit, ut prosequitur idem auctor, quòd olim multi libri Latini hic pluraliter legebant, tonsos fuisse capitibus, eò quòd libere votum; id quòd de Priscilla et Aquila dicebatur. Nam et mulieres ritum Nazaraeorum temporalium observare potuisse, manifestum est ex Numer. 6, v. 2. Ven. Beda testatur sibi conceptos tales codices; idem de se testatur Baronius ad annum Christi 53, § ult. Et Magister Sententiarum, lib. 4, dist. 24, § B, ita loquitur: In Actibus apostolorum Priscillam et Aquilam hoc fecisse legitimus, nempe quòd caput tonderant. Isidorus quoque de divin. Officiis lib. 2, cap. 4, eisdem hoc tribuit. Chrysostomus, hom. 40 in Acta, dicit Priscillam et Aquilam è Judaica consuetudine nondum fuisse abducos per Paulum. Quae verba non videntur potius intelligi nisi de ista observantia voti et tonsionae capitis. Item ex Chrysostomo repetit Oecumenius in versum hujus capituli proximè sequentem. Ita Lintrensis.

Objici tamen poterit quòd illa verba: Et cum eo Priscilla et Aquila, separantur à reliquo textu per parenthesis, idque tam in codicibus Graecis, quàm Latinis. Sed facilius est responso, nempe quòd nota parenthesis fuerint postea adjectae, sicut pacta, comata, et cetera signa: nam aliqui veteres libri, etiam impressi, non habent hic parenthesis. Interiorum

Resp. et dico 1º: Non Aquila, sed Paulus sibi caput tondidit. Patet hoc ex toto contextu, dicit enim: Paulus... navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila), qui sibi tonderant in Caesarea caput; habebat enim votum. Deinde quoque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus synagogam, disputavit cum Judaeis. Ubi omnes tertie personae, praeter totonderat et habebat, certissime agunt de S. Paulo; ergo etiam iste duae sunt de ipso intelligendae; alias nomen Paulus deberet repeti post et, votum, immediate ante et devenit, ut esset bona constructio.

Dico 2º: Votum illud, quòd habebat Paulus, erat votum nazaraeatis.

Prob. 1º, quia tondidit sibi crines; sed nullum legitur fuisse votum in antiqua lege, propter quòd debebant tonderi crines, praeter solum nazaraeatum; ergo Deinde votum nazaraeatis propter suam dignitatem et eminentiam vocatur simpliciter votum per antonomasiam.

Prob. 2º, quia de voto nazaraeatis id intelligunt S. Hieron., epist. 89, que est etiam apud Augustinum, epist. 14, et S. August., epist. 19.

Porro Nazareæ erant duplicis generis; scilicet aliqui erant in perpetuum, ut Samson; aliqui volebant tantum ad aliquod tempus, sic ut volebant. Quid autem debent observare habetur Numer. 6.

Dices: Quando Nazareus impleverat tempus voti sui, debebat radi *ante ostium tabernaculi foderis*, et sacerdos tollebat *capillos ejus*, et ponebat *super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum*, ut dicitur Num. 6, v. 18; adeoque debebat illa ceremonia fieri in templo Jerosolymitano; atqui tamen Paulus id fecit Cenchreae, quæ erat portus Corinthiacus; ergo, etc.

Resp. Neg. consequ., quia cum ratio capillorum non esset sacrificium, non videtur debuisse fieri Jerosolymis ab illis qui expleto tempore Jerosolymam pertinere non poterant: alias sequeretur quod Judei, qui habitabant in remotis regionibus, sicut et illi qui erant in captivitate Babilonica, nunquam potuerint votum nazareatum. Deinde Paulus, qui optimè noverat illam legem modo mortuam esse, de illa tantum observabat quantum volebat.

Cajetanus, Tirinus et alii, ob difficultatem in objectione propositam, dicunt quod votum Pauli non fuerit expletum Corinthi, sed quod, cum votum nazareatû haberet, illud polluerit contactu vel presentia aliojus cadaveris; quo facto, debebat votum suum de novo incipere, ut prescribitur Numer. 6, v. 9 et 12; idèque rasi caput suum in Cenchris.

Et reverà Paulus, ut habetur cap. 20, v. 10, suscitavit Eutychem adolescentem mortuum, et *incubuit super eum*, adeoque immunditiam contraxerat. Ad ista

Resp. 1^o quod ille contactus Eutychi mortui contigerit postquam Paulus rasisset crines suos, ut patet ex textu. 2^o Illa solutio contraria est sententiæ SS. Hieron. et Aug., locis supra citatis, qui dicunt ejus votum tunc fuisse impletum. 3^o Patitur eandem difficultatem, quam patitur nostra; nam Num. 6, v. 8: *Nazareus omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus; quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septimâ. In octavâ autem die offeret duos turtures... sacerdoti in introitu foderis testimonii*, etc. Ergo si quis Nazareus tempore voti sui pollutus fuisset, debebat illud renovare Jerosolymis, offerendo duos turtures, etc.

Ut his difficultatibus se expediant Stapletonus et Lorinus, dicunt votum Pauli non fuisse Nazareorum; sed tantum votum causâ mortificationis emissum. Verùm Hieron. et Aug. supponunt tanquam certum, hoc votum Pauli fuisse Nazareorum: quia votum in veteri Testamento famosè tale votum significat, ut infra iterùm, cap. 21, v. 25.

Nec etiam videtur verum quod putant à Lapide et Tirinus, videlicet quod loco citato, v. 24, Paulus solverit votum Nazareatû, quo erat obligatus: siquidem ibidem tantum dicitur quod per S. Jacobum fuerit inductus, ut cum aliis se purificaret, ipsorum purificationi cooperando, aliquid de ipsorum sacrifi-

ciis solvendo, etc. Unde etiam ibi nullatenus significatur ipsum habuisse votum, cujus tempus tunc expirasset.

Auctor Analyseos putat Paulum in Cenchris rasisse crines, non quia votum emiserat, sed quia erat mox emissurus votum perpetui nazareatû. Cum enim Nazaræ perpetui nunquam possent radere crines, Paulus rasi suos crines, ne postea crescerent in immensum.

Attamen contra hanc opinionem facit primò, quod Scriptura dicat: *Totonderat in Cenchris caput; habebat enim votum*, quæ verba apertè indicant quod modò votum emisisset. Secundo, labores Pauli non compatiebantur nazareatum perpetuum. Tertio, quia Hieron. et Aug. sunt contrarii.

Petes 1^o an licerit Paulo uti istis ceremoniis Judaicis.

Resp. affirmative, quia illis non utebatur tanquam adhuc necessariis, sed tanquam in se bonis et à Deo institutis, ac nondum omninò prohibitis; quia debebat synagoga sepeliri cum honore, ut dicit S. P. Aug., epist. 19.

Petes 2^o quomodò Apollo juxta verbum 25 poterit docere ea quæ sunt Jesu, quandoquidem, ut ibidem additur, tantum sciret baptismum Joannis.

Resp. eum, utpote virum in Scripturâ veteris Testamenti exercitatum, potuisse ex prophetis et Psalmis ostendere, et convincere Jesum esse Christum, seu Messiam in lege promissum; et tamen nescire Baptismi sacramentum à Christo institutum, et ad salutem necessarium. Unde dum dicitur quod tantum sciret baptismum Joannis, per hoc tantummodò significatur quod hucusque ignoraret baptismum Christi, atque fidei Christianæ mysteria, quæ à Priscilla et Aquilâ diligentius doctus fuit, ut dicitur v. 26.

CAPUT XIX et XX.

Paulus reversus Ephesum duodecim discipulos Joannis baptismi Christi baptizat, et confirmat. In synagoga Judeorum tribus mensibus, et deinde in scholâ tyranni per biennium prædicat. Postea ob tumultum, à Demetrio argentario excitatum, Epheso discedit, et per varias Asiæ et Græciæ urbes pergit in Macedoniam; ac tandem venit Miletum, ad quam urbem convocavit Asiæ episcopos, quos egregiâ oratione exhortatus est, et officii episcopalis eos admonuit.

NONNULA RESOLVUNTUR

Cap. 19, cum Paulus Ephesi invenisset quosdam discipulos, v. 2, dixit ad eos: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* At illi responderunt se nihil de Spiritu sancto audivisse, sed tantum baptizatos esse baptisimato Joannis. Cajetanus putat hos discipulos fuisse conversos, et baptizatos baptismum Joannis ab Apollo: hic enim ante Paulum fuerat Ephesi, solumque noverat baptismum Joannis, ut dicitur cap. præced., v. 24 et 25.

Sed huic opinioni obstat quod Ephesi Apollo instructus fuerit de Christo, et Christi baptismum ab

Aquilâ, uti rursum ex cap. præced., v. 26, manifestum est. Quare si isti discipuli fuissent ab Apollo baptizati baptismum Joannis, utique ipse eos de Christo instruxisset, et baptismum Christi baptizari curasset. Adde baptismum Joannis durasse tantum usque ad Christum: ad illum enim dicebat et tenebat, idèque à solo Joanne collatus est, non à discipulis, vel posteris ejus; ut docet S. P. Aug., tract. 5 in Joan.

Dicendum igitur videtur istos discipulos ab ipso Joanne Baptistâ fuisse baptizatos in Judæa. Dum enim Judæi ex Asiâ Jerosolymam de more ad dies festos ascenderant, haud dubium videtur quin variorum prædicationem Joannis audiverint, et ejus baptismum suscepissent, ab eoque didicerint credendum in Christum jamjam publicè venturum. Sed mox in Asiam domum redeuntes, nihil amplius de rebus in Judæa à Joanne et Christo gestis audierant. Quare ea hic audiunt à Paulo. Ita, teste à Lapide, exponit S. Chrysostomus.

Dices: Si illi discipuli fuissent à Joanne baptizati, certò audivissent aliquid de Spiritu sancto; siquidem Joannes Baptista ad se venientibus testatus fuerat post se venturum, qui baptizaret in Spiritu sancto, ut liquet Joan. 1, v. 33, et Lucæ 3. Atqui tamen illi discipuli nihil audierant de Spiritu sancto; ergo non fuerant baptizati à Joanne.

Resp. Nego maj., quia Joannes hoc non dixit omnibus ad se venientibus, sed quibusdam; idque opportuno tempore; nam ab universâ multitudine venientium ad se, tantum exigebat professionem penitentiae, et prædicabat venturum Christum. Unde quod dicitur Lucæ 3, v. 16, Joannem dixisse *omnibus*, intellige, inquit Estius, omnibus presentibus, ita ut sensus sit: Dixit non occultè, sed palam coram quibuscumque quasi voce publicâ.

Vers. 9: *Cum autem quidam* (ex synagoga Judeorum) *indurarentur, et non crederent*, propter illorum obdurationem Paulus *discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in scholâ tyranni cujusdam*. Nonnulli existimant *tyranni*, esse nomen proprium alicujus Ephesini; sed videtur aliquo modo resistere constructio; quia Scriptura non solet addere pronomen *quidam*, vel *aliquis*, nominibus propriis, ut, v. g.: *Quidam Abraham, quidam Isaac*, etc., nisi ubi addit aliquam notam distinctionis, vel ubi sequitur aliquid nomen appellativum, ut hoc lib., cap. 10, v. 5: *Accerse Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, hic hospitatur apud Simonem quendam coriariam*. Unde melius alii apud Tirinum *tyranni* accipiunt pro principe, vel primate, sicut accipitur lib. Esther, cap. 6, v. 9.

Per scholam autem intelligi potest porticus, aula, vel cubiculum aliquod, in quod solebant causâ otii vel quietis secedere: schola enim Græcè dicitur à verbo *scholazo*, quod significat *otior*, vel *quiesco*. Dicitur igitur *schola* per antiphrasim, sicut Latine vocatur *ludus*.

Elegit autem Paulus domum hujus principis, ut potentia et auctoritate illius contra Judeorum audas. S. S. XXXIII.

Etiam se stuosque tueretur. Si autem biennio, quo in hac scholâ docuit, adjungas trimestre, v. 7, et alios novem menses, quibus videtur prædicasse in vicis et pagis Epheso vicinis, reperies tres annos, quos Ephesi à se exactos narrat Paulus, cap. seq., v. 51. Hinc rectè Baronius docet Ephesinam Ecclesiam primitivè non à S. Joanne, sed à S. Paulo fundatam esse. Et S. Epiphanius, heresi 51, ait S. Joannem in senectute demum curandas suscepisse Ecclesias Asianas.

Cap. 20, v. 16: *Proposuerat Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asiâ. Festinabat enim, si possibile esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis*. Non tamen Pentecostem, ut quidam volunt, ad illic adimplendum votum, de quo supra, cap. 18, quæst. 2, sed ad ferendum elemosynam, ut patet ex illis quæ ipse Paulus dicit, cap. 24, v. 17: *Post annos plures, elemosynas facturus in gentem meam, veni, et oblationes et vota; in quibus invenerat me purificatum in templo*, etc.

Cap. 21: Paulus tandem pervenit Jerosolymam, ubi susus Jacobi purificat se in templo; sed à Judæis ferè occiditur, et à tribuno Judæis eripitur. Deinde cap. 22 Paulus pro se perorat.

CAPUT XXIII ET XXIV.

Paulus jussu pontificis percutitur. Deinde mittitur Caesarem ad Felicem præsidem Judææ, coram quo à Tertullo accusatus, causam suam sic agit, ut Felix optaverit instrui in fide Christi, totusque contremisit disputante Paulo; quem tamen Portio Festo successori suo vincetum relinquit.

QUESTIO UNICA.

Quoto die Paulus accusatus fuerit coram Felice.

Cap. 24, v. 11: *Non plus sunt mihi dies, quam duodecim ex quo ascendi adorare in Jerusalem*. Ergo die duodecimo, post quem venerat Jerosolymam, fuit accusatus coram Felice.

Sed quomodò hoc potest esse verum? Paulus enim captus est post adventum suum Jerosolymam, *diem septem dies consummaverat*, ut habetur supra, cap. 20, v. 27. Deinde Paulus manet duobus diebus vincetum Jerosolymis, cap. 22, v. 50, et cap. 25, v. 11. Postea ductus est Caesarem, distantem Jerosolymâ septemdecim circiter leucis, in quo itinere insumpti sunt duo dies, cap. 25, v. 52; adeoque jam sunt modò undecim dies. Denique cap. 24, v. 1, *post quinque dies descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus, accusaturus Paulum*; adeoque jam sunt sexdecim dies.

Ad hanc difficultatem solvendam à Lapide putat quod Paulus, cum venisset Jerosolymam, emisisset votum nazareatû ad septem dies, et quod captus fuerit, non septimo die, sed dñm completat, id est, observabat septem dies voti sui; scilicet votum emisisset secundo die, quo venit Jerosolymam, et captus est quarto die, qui erat tertius voti, et dies quartus quo venerat Jerosolymam.

Confirmatur à simili: Qui vovet novenam, v. g., in

(Quarante-six.)

honorem S. Barbaræ, dicitur illam implere, quando incipit observare.

Sed contra hanc solutionem facit primò, quòd S. Lucas, dum dicit in suo Evangelio: *Cum consummarentur dies octo, ut circumcideretur puer*. Item: *Ut impleti sint dies purificationis Mariæ*. Et hoc lib., cap. 2: *Cum compleverunt dies Pentecostes*, semper intelligit diem ultimum. Nec etiam in communi sermone dicimus aliquem implere suam novenam, dum illam tantum inchoat. Secundò, Nazareus non offerebat sacrificium singulis diebus, quibus votum durabat, sed tantum ultimo die, uti prescribitur numer. 6, v. 13 et 14; et etiam docet Josephus, lib. 2 de Bello Judæico, cap. 15.

Resp. et dico: Illud quod habetur v. 1: *Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum*, etc., non debet intelligi post quinque dies ab adventu Pauli Caesarem, sed post quinque dies à comprehensione Pauli. Itaque Paulus captus est die septimo postquam venerat Jerosolymam, et die quinto post accusatus, recte dicit: *Non sunt plus mihi dies quam duodecim*, etc.

Summa hæc duodecim dierum ita colligitur: primo die quo venit Jerosolymam, susceptus est à fratribus, ut narratur supra, cap. 21, v. 17. Secundo die venit ad Jacobum, ibid., v. 18. Tertio, quarto, quinto et sexto die quatuor Nazareei esset et purificati sunt, quisque suo particulari die, assistente semper Paulo, supra, cap. 21, v. 26. Septimo die Paulus obtulit sacrificium pro se, et capus est, ibid., v. 27, et eodem die omnia facta sunt que narratit usque ad cap. 25, v. 30; et tunc incipit primus dies ex quinque posterioribus quorum fit mentio, cap. 21, v. 1, qui ab adventu Pauli Jerosolymam est dies octavus; dies nonus, cap. 25, v. 12; dies decimus, ibid., v. 55; undecimus et duodecimus dies insumpti sunt ab Anania et accusatoribus Pauli, ut à Jerusalem irent Caesarem.

Cap. 25: Paulus Caesarem appellat; et cap. 26, judicatur innocens, sed tamen mittendus Romam; quia Caesarem appellaverat.

CAPUT XXVII.

Paulus per Cyprum et Cretam, maris Mediterraneæ insulas, navigat versus Romam, et prædicit naufragium.

QUESTIO UNICA.

Quòd navigaverit Paulus, et an venerit Lystram.

Vers. 2: *Ascendentes navem Adrametinum*, que à Casarea solebat navigare Adrametum, civitatem Africa maritimam. Codices Græci, et multi Latini habent: *Navem Adramytenam*. Et hoc videtur esse multò melius: nam ad navigandum Adrametum debebant navigare per plenum mare, scilicet in Africam; sed ad navigandum Adramytenam debebant navigare juxta Sidonem, et deinde per pelagus Ciliciæ et Pamphylia, versus Lyciam; quia Adramytena est civitas Mysiæ, à regione insule Lesbos; atque navigaverunt juxta Sidonem, et per pelagus Ciliciæ et Pam-

phylia, versus Lyciam, ut constat ex toto hoc cap.; ergo, etc.

Dies: Navigaverunt juxta Sidonem, quia ventus erat contrarius, ut dicitur v. 4.

Resp. Neg. assumpt. Nam non ideò navigaverunt juxta Sidonem, quia venti erant contrarii, sed postquam solverant à Sidone, quia venti tunc erant contrarii, subnavigaverunt Cyprum obliquantes vela, ut verbum Græcum significat, inquit Frömondus, legendo litus orientale insule Cypri, ut objectu insule tui essent à ventis, qui directè in proram rellabant à Sidone versus Lyciam tendentibus.

Vers. 5: *Et pelagus Ciliciæ et Pamphylia navigantes, venimus Lystram, que est Lycia*. Et tamen, cap. 14, v. 6, dicitur quòd Lystra sit civitas Lyeæonia. Ad hæc difficultatem dicunt Menochius et Tirinus quòd Lycia latè sumpta complectatur etiam Lyeæoniã. Sed non reflectunt quòd Lystra distat à mari plus quam 50 leucis, adeoque Paulus non potuerit eò devenire navi.

Alii dicunt quòd fuerit duplex Lystra, una in Lyeæoniã, altera in Lyciã, ad quam Paulus appulit. Sed illi inveniunt unam Lystram, quam nulli geographi inveniunt; que tamen debebat esse famosa, cum esset portus maris, et ad illam navem Alexandrinã appellerent, ut constat hic ex versu 6.

Resp. et dico: Loco Lystram debet verosimilitudini poni Myram, que civitas est Lyciæ metropolis, cujus S. Neoclaus fuit episcopus.

Probat. Quia textus Græcus, et S. Chrysostomus habent Myram.

Dices cum Grotio: Myra distat à mari circiter uno milliario, seu horã itineris; ergo potius debet legi *Lyngra*, que est portus maris in Lyciã.

Resp. illud nullo modo posse admitti; quia nullus codex ita legit. Deinde juxta Tabulas Ptolemæi, Lyngra ferè tam proeni distat à mari, quam Myra, et nullum habet fluvium; Myra verò sita est super fluvium Lyngrum; ergo certius navigavit Myram quam Lyngram.

CAPUT XXVIII.

Postquam Paulus naufragium passus erat, in insulam Melitam cum omnibus salvus eiecit. Inde post tres menses navigavit versus Italiam, et tandem pervenit Romam.

QUESTIO PRIMA.

In quam insulam Paulus fuerit eiecit.

Vers. 1: *Et cum evasissemus, scilicet naufragium, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur*. Sunt autem due insule, que vocantur Melita; una in mari Adriatico, seu Veneto; altera in mari Siculo prope Siciliam, que nunc vocatur Malta.

Resp. et dico: Paulus eiectus fuit in insulam que jam vocatur Malta.

Prob. 1^a quia Paulus ex illa insulã navigavit Syracussis in Siciliã, deinde Rhodium, et postea Puteolos, quod est rectum iter ex insulã Maltã versus Romam; sed si venisset ex insulã Melitã seu Miltienã, que est in mari Veneto, seu in Illyrico, debuisset rectè navigare Anconam: nam navigando Syracussis, faci-

set iter sicut ille qui ad eundem Lovanio Bruxellas, primò iret Mechliniam, deinde Gandam, et Gandã Bruxellas.

Prob. 2^a: Omnes circumstantiæ navigationis manifestè indicant quòd Paulus post naufragium appulit ad insulam que nunc vocatur Malta. Etenim ex cap. 27, v. 14, liquet quòd in navim Pauli, dum è Cretã tendebat versus Italiam, se immiserit ventus Typhonicus, qui vocatur *Euroaquilo*; id est, spirans medius inter æquilonem et eorum, seu orientem; quo vento à Cretã decurrentes in aliam insulam, que vocatur *Cauda*, timentes ne in Syrtim, id est in loca arenosa circa fines Africae Egyptum versus, *inciderent*; dimissis velis ferebantur ab oriente ad occidentem, *Melitam* versus. Atqui eo vento nullã prorsus ratione sine velis deferri poterunt in sinum Adriaticum, ad Melitam Illyrici, sed bene per mare Africum ad Melitam inter Siciliam et Africam, in cujus littore etiam nunc est locus, qui vulgò dicitur: *La Cala di S. Paolo*; id est, *Portus sive Appellus S. Pauli*. Ergo Paulus eiectus fuit in eam insulam que nunc vocatur Malta.

Obj. 1^a: Cap. 27, v. 27 dicitur quòd Paulus navigaverit in *Adriã*; ergo eiectus est in Melitam, que est in sinu Veneto, seu in Illyrico.

Resp. Neg. consequ. Nam Ptolemæus in sua Geographiã dicit orientale litus Siciliæ, mari Adriatico alui. Unde nomen *Adriæ* non tantum comprehendit illud quod ab urbe Venetorum usque ad fines Italiae decurrit, sed etiam quod inde reflectitur usque ad Siciliam.

Obj. 2^a: Incolas istius insule, ad quam appulit Paulus, S. Lucas hoc cap., v. 1, vocat barbaros; atqui illo tempore Maltenses non erant barbari, sed tales erant Illyrici; ergo, etc.

Prob. min., quia Malteases, ut tradunt communiter historici, à primò Græcorum in Siciliam trajecta fuerunt Græci; et Illyrici, utpotè incolæ continentis Dalmatiæ, erant gentes barbaræ; ergo per Melitam, ad quam appulit Paulus, intelligitur Melita Illyrici.

Resp. Disting. maj. Vocat barbaros, eò quòd peregrinã loquerentur linguã, concedo; vocat barbaros moribus; neg. maj.; siquidem quòd non essent barbari moribus, per se manifestum est, inquit Lintrensis, quoniam commendantur ab humanitate, et quidem non vulgari, ut liquet ex versu 2 et seqq.

Obj. 3^a: Perantiqua est Illyricorum traditio quòd ad Melitam, que est in mari Adriatico, appulit Paulus; siquidem in perpetuum istius appellus monumentum ibi celebre erectum est monasterium religiosorum, qui hanc sibi gloriam ex antiquã traditione attribuant. Unde et Constantinus Porphyrogenitus imperator ad Romanum filium, lib. de administrando imperio, cap. 56, de Illyrici littoris insulis ita scribit: *Tenant et insulas has: una est insula magna, que Citera, sive Cicer dicitur; in qua et oppidum. Alia magna est que Meleta, seu Melozæta vocatur, cujus in Actis apostolorum meminit S. Lucas, Melitam eam nominans: ubi et viperæ, S. Pauli digitum mordens, ab eo excussa igni concremata est.*

Resp. Hanc Illyricorum traditionem non videri admittendam: Primò, quia Scriptura nullo modo est consentanea, sed potius ei repugnat; uti deduci potest ex probationibus supra allegatis. Secundò, quia teste Philippo Cluverio, lib. 2 de antiquã Siciliã, cap. 16, in Illyrici seu Dalmatici littoris Melitã vestigia, vel memoria præteristi appulsus existat nulla, præterquam apud istos religiosos, qui eam gloriam sibi arrogare volunt. Contra verò in istã Melitã que nunc vocatur Malta, est templum cathedrale, satis antiquum, ut videre est, operis, et ædiculã juxta portum, quam incolæ loci tradunt esse cryptam, seu specum S. Pauli. Auctoritatè verò Constantini Porphyrogeniti, qui teste Moreri regnare coepit anno 912, oppono auctoritatem Aratoris diaconi, illo longè antiquioris, utpote qui tradidit vivisse sub Justiniano imperatore, annis circiter 550 à nato Christo: hic in commentationibus ad Acta apostolorum ita cauit:

*Lux revocata micat, velamine noctis aperto
Pendere visa solum, quod præbuit hospita nautis
Sicani lateri remis vicina Melite.*

QUESTIO II.

An Paulus, postquam Romæ fuerat duobus annis victus, iterum redierit in Asiam.

Respondeo affirmativè.

Probat. quia Paulus in suis Epistolis quas scripsit Romæ victus ad orientales, illis sæpè promittit se illos iterum revisurum. Sic ad Philemonem Colossensem scribens, v. 25, dicit: *Para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis*. Et ad Philippenses, cap. 1, v. 25, ait: *Et hoc confidens, scio, quia manebit et permanebit omnibus vobis, ad profectum vestrum, et gaudium fidæ; ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos*. Et ibidem, cap. 2, v. 24: *Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito*. Item in Epistolâ ad Hebræos, quam ex Italiã scriptam esse, inde patet quòd cap. 13, v. 24, salutem eis dicant *fratres de Italiã*. Scribit autem ibidem, v. 23, *Timentem conceptivum suum jam esse dimissum, cum quo, inquit, si celerius venerit, videbo vos*. Hanc verò Pauli spem, et toties inculcatam ac repetitam promissionem, vanam fuisse, minimè tanto Apostolo dignum videtur.

Obj. 1^a: Antequam unquam Paulus fuerit captus Jerosolymis, dixit Ephesinis, cap. 20, v. 25: *Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei*. Ergo post prima vincula Romana non rediit in Asiam.

Resp. Neg. consequ. Nam Paulus id non dixit spiritu prophætico aut absolute, sed tantum conjecturaliter: quia quamvis certò sciret se captivandum, vincendum, et multa passurum Jerosolymis, tamen non sciebat se occidendum, ideòque promiserat, v. 22: *Vado in Jerusalem; que in eã ventura sint mihi, ignorans, nisi quòd Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent.*